

vitatem perpulit, ut Fæderici partium haberi paterentur. Quibus honesta servitutis confessione expressa, continuo ille frænum injecit, jugum indomitæ ad eam diem cervici imposuit, amarissimæque cæpit premere tyrannide. Tum vidisses nobiles viros, alios ad supplicium trahi, alios in vincula adduci, hos damnari, illos in exilium agi, fortunas diripi, puellas ingenuas, nobiles matronas ad stuprum rapi: omnia infanda, & quæ a superbissimo victore in captivos edi solent, a novo principe in miseros Patavinos edebantur: multi metu voluntarium sibi exilium conscivere, plures fortunis omnibus spoliati, extorres cum uxore & liberis ejecti, Venetias tanquam ad unicum libertatis domicilium confugerant. Interim, quum omnis fere Cisalpina Gallia Fæderici armis streperet, ajunt Petrum Tepulum, Veneti Principis filium, ad Cortem novam cum Mediolanensium cohortibus, quarum Prætor erat, adversus Fædericum parum secundo prælio dimicasse, cladeque non mediocri accepta, cum non paucis viris illustribus in hostium potestatem venisse. Eum in patris ac Veneti nominis invidiam (cui jam antea magnopere insensus erat victor hostis) Pisas primo, inde in Appuliam misit: ubi miserabili modo trucidatum ferunt. Verum cur in eam terram obtruncandum ablegaverit hostis, auctores non tradunt. Ego vero in Appulorum gratiam puto id factum, qui per id tempus a Joanne Tepulo ipsius Petri fratre multis cladibus fuerant affecti. Miserant Veneti Romano Pontifici gratificaturi, cum quinque & viginti longis navibus Joannem Tepulum in Appuliam, ad ejus terræ urbes oppugnandas, quæ in Fæderici fidem venerant. Sub Tepuli accessum, classe quæ ad præsidium ejus oræ erat, disjecta, Thermolas Venetus occupavit: inde Campum Marinum: mox & Besticem. Sed dum captum oppidum diripit atque evertit, nunciatur cæteam navim ea tempestate nobilissimam, quæ mille viros ad pugnam instructos habebat, quæque Fæderico aperto mari militabat, Siponti portum intrasse. Eo Venetæ triremes repente advolant, navimque iniquo loco adeptam, tumul-

1236

1237

*Veneti in
Fædericum
& Ecelinum
terra mari-
que arma
capiunt.*